

quis die feriato cum armis in publico versetur: Altera, ne quis signo audito tumultus indice domi se contineat, sed cum armis Magistratui in foro praesto sit. Tumultus oritur die feriata: Quid faciendum civilibus legibus ita invicem pugnantibus? Putarem cum minoris interfit priorem violari quam posteriorem, cives debere cum armis prodire, siquidem & ista exceptionem continere videbatur, nisi tumultus causa à Magistratu cives evocentur. Dn. Puf. J. N. G. l. 5. c. 12. §. 23. p. m. 736.

§. XXIV. Sexta regula hæc esto: Lex beneficentiae cedit legi gratitudinis, item Lex charitatis cedit Legi justitiae. Non eo quidem sensu ac si cum Moralistarum communi Schola in genere morum beneficentiam gratitudini, justitiam charitati opponamus *vid. Laym Theol. Mor: p. 3. tr. 3. l. 3. c. 5. p. m. 346. n. 7.* ita ut quid justum esse possit, repugnet tamen charitati, aut quid cum lege gratitudinis convenire beneficentiae tamen legi repugnare possit. Cum enim in his virtutibus moralibus perpetuus & harmonicus quasi quidam sit concentus, non possunt non actus secundum illas editi invicem convenire & amice conspirare *vid. Magnif. Dominus Ziegl. in not: ad Grot: l. 2. c. 17. §. 9. p. m. 401. sq.* Eo tamen sensu putamus admitti posse istas regulas, quatenus in foro externo lex gratitudinis atq; justitiae vult, ut seposita quasi lege beneficentiae aut charitatis quandoq; secundum ipsas operemur: Ita equidem lex charitatis vult ut proximum amemus sicut nosmet ipsos, quando tamen de fontibus pena sumenda est, videtur illa lex charitatis in foro externo cessare: Item quando eandem rem & benefactor & pauper quicumq; nullo beneficio mihi cognitus in pari necessitate constituti à me petant, satius est benefactori succurrere quam ignoto, nisi forte rem ex æquo dividendo utriusq; necessitatibus subveniri possit, quo casu tutior forte hæc via erit illa priori. Scilicet si ex vero rem aestimare velis & secundum forum internum nulla pugna his casibus inter legem gratitudinis & beneficentiae, justitiae & charitatis occurrat, sed potius lex charitatis ex lege justitiae, & lex beneficentiae ex lege gratitudinis limitatur atq; restringitur, ita ut proximi